

C. 151.



28  
VINDICIARVM  
ARBITRII DIVINI  
IN  
RELIGIONE CONSTITVENDA  
PARS TERTIA

DISPV TATIO THEOLOGICA  
QVAM  
SVB PRAESIDIO  
D. IO. AVGVSTI ERNESTI  
IN AVDITORIO COLLEGII PRINCIP. MAIORIS  
A. D. II. APRILIS A. C. CIOIOCCCLXII.  
DEFENDET  
CHRISTIANVS SAMVEL WEISIVS  
A. M.

---

L I P S I A E  
EX OFFICINA LANGENHEMIANA.

VINDICIARVM  
ARBITRII DIVINI  
IN  
RELIGIONE CONSTITVENDA  
PARTI TERTIA  
DISPUTATIO THEOLOGICA  
QVAM  
SVB PATRO DDO  
D. IO. AVGVSTI ERNESTI  
IN AULICO COLLEGI PRINCIPALIS  
A. M. DCCCLXXXII  
DESCRIPTA  
CHRISTIANVS SAMVEL WEISIVS  
A. M.

L I P S I A E  
IN OFFICINA LANTHORNIANA





B. C. D.  
VINDICIARVM  
ARBITRII DIVINI  
PARS III.

*Deum arbitrio suo in religione constituenda magna  
cum gloria sua et hominum utilitate usum esse.*



63. Lucundissimam institutae disputationis partem aggredimur explicare, demonstrationem gloriae diuinae, quae, cum hominum salute et utilitate maxima, illustratur per ea ipsa, quae arbitrium diuinum in religione sanxit. Quid enim iucundius animo Christiani hominis aut debet esse aut potest, quam videre ac sentire effulgentem ex operibus institutisque diuinis perfectionem auctoris summam; quae non modo sua sponte, quia perfectio est, admirabilis est et suavis, sed etiam quia res ipsae, in quibus eam perspicimus, ad felicitatem nostram sunt comparatae. Neque vero in eo superuacaneam rem suscepisse videri debemus, quod quaecunque a Deo instituta constat, ea praeclara esse, et sapientia eius, ceteraque perfectione dignissima, dubitari non potest. Nam qui ita scit ac credit sapientiae consentanea esse,

quae a Deo facta aut constituta sunt, pie ille quidem et reuerenter iudicat, ceterum nihil admodum ultra verbum ipsum intelligit: nec ea scientia vel animum admiratione Dei et laetitia explere, vel ad refellendos veritatis aduersarios valere potest. Paulus quidem Apostolus, vt supra §. 57. 61. dictum est, a Deo in constituenda *οικονομία* salutis nostrae per Iesum Christum demonstratum esse ait *ὑπερβάλλοντα πλεον τῆς χάριτος αὐτοῦ, καὶ πολυπόμιλον σοφίαν*, (*Eph. II. 7. III. 10. etc.*). Sed illas tantas diuitias benignitatis et sapientiae, vt non verbis sed rebus demonstrauit; ita non verbotenus, sed rebus ipsis intuendis, et vestigijs earum persequendis, cognoscere debemus; praesertim cum ea cognitio confirmet veritatem, eamque reddat animo carriorem et iucundiozem. Nam vt magis quisque perspicit magnitudinem benignitatis et sapientiae diuinae in iis, quae arbitrio diuino constituta sunt in religione, ita magis et credit et gaudet, ea esse a Deo instituta.

64. Atque nos non sumus ii, qui ignoremus, sapientiam hanc diuinam a multis ante nos esse demonstratam, qui eam aduersus *Tindalium*, similesque religionis Iudaicae et Christianae, qua arbitrarijs Dei institutis continetur, aduersarios defenderent. Sed ea defensio minus late, quam debebat, patuit. Nam, quod nos quidem cognouerimus, tota occupata fuit in cerimonijs ac ritibus sensibilibus, quos hactenus vtiliter atque hanc ob causam sapienter institutos esse defenderent viri doctissimi, quod in iis esset materia exercendae alendaeque pietatis in Deum atque virtutis. In quo etsi plane cum iis sentimus; tamen non satisfactum esse summae causae existimamus, propterea, quod ea disputatione nihil aliud efficitur, nisi vt in iis, quae Deus adiunxerit religioni naturali, insit quaedam eius exercitatio vtilis et disciplina, non pars religionis eiusmodi, quae ad summam (essentiam) ipsius religionis diuinitus nobis traditae pertineat, et per se habeat hanc vim ac necessitatem, vt nos gratos Deo reddat, habeatque spem certam salutis consequendae. \*) Itaque nulla mentio fit fidei, quae

\*) Vid. dicta a nobis in *Bibl. Theol.* P. I. p. 115. f.

quae propter Christi meritum et satisfactionem spem habeat aeternae felicitatis, exclusa etiam bonorum operum vi et necessitate, in quo summam esse religionis, litteris diuinis traditae, ab ipsis litteris diuinis edocemur. Quo magis hoc nobis agendum summus, vt hanc maxime partem ad gloriam diuinam illustrandam plurimum valere, in eaque religionis Christianae summum decus esse et gloriam ostenderemus, cetera, quae ab aliis bene tractata sciremus, leuiter attingeremus.

65. Sed nobis ante, quam de singulis partibus dicere incipimus, vniuersè explicandum videtur, quibus quasi vestigijs persequi sapientiam et benignitatem diuinam in religione, praefertim arbitrio eius constituta, debeamus, quibusque signis ea se cognoscendam et conspiciendam praebeat mentibus nostris: ita facilius erit singularum partium explicatio. Ac nobis quidem videtur eae perfectiones diuinae ita maxime in religione declarari atque intelligi, *si in ea referantur omnia ad diuinae maiestatis et sanctitatis conseruationem, spes autem omnis et ratio salutis consequendae ad beneficium diuinum.* Quae sunt diligentius nobis et explicanda e religionis natura, et confirmanda.

66. Religio vera etsi Deum hominemque attingit, vt supra dictum est, (§. 4.) tamen ad vltimum redeunt omnia, et necessario redeunt ad Deum, ad quem proprie religio pertinet. Nam Deum ipse causa amplectitur, hominem propter Deum, h. e. vt ipsa hominis felicitate illustretur benignitas diuina, et vniuersa eius maiestas. Ex quo fit, vt primum ipsa spei propositio, et lex eius spei tenendae debeat esse Deo digna, hoc est, nec ab sanctitate abhorrens, nec ab iustitia diuina, quibus dubitari non potest, quin modus benefaciendi, et delectus dirigi debeat. Neque enim pugnam inter perfectiones diuinas inducere debent beneficia diuina, quae in Deo ne intelligi quidem potest, sed cum conseruatione consensus cuiusdam tribui debent. Atque nos non dubitamus, esse quaedam genera beneficiorum diuinorum, in quibus bonitas diuina nullis iustitiae aut sanctitatis vinculis teneatur, sitque plane libera, et velut arbitrii sui. Nam et experientia

ita esse demonstrat, et scripturae docent. Ac ne commemoremus id, quod maxime solet esse in promptu, cum vel accusant homines impii Dei benignitatem erga improbos prolixiorum quam in probos, vel pii in dubitationes conuiciuntur per res secundas illorum et aduersas suas: in eo quis non agnoscit arbitrium quoddam liberum bonitatis diuinae, quod Israeliticum potissimum populum suum esse voluit, in quo conseruaretur vera religio, et nasceretur is, per quem salutem hominibus erat daturus. Neque enim quicquam est, propter quod necessarium Deo putemus fuisse, ut hoc beneficium huic potius, quam alii cuicumque populo, tribueret; unde etiam *electio* in ea re commemoratur in scripturis, quae est libertati maxime propria. In quo quin sit aliqua pars maiestatis diuinae, nec res ipsa dubitare nos finit, nec Apostoli Paulli praeclara demonstratio. Etenim factis intelligi maiestas diuina, et imperium summum in mundum hunc et res humanas non potest sine libertate quadam agendi et arbitrio, in rebus iis, quae non habeant necessariam coniunctionem cum sanctitatis et iustitiae necessariis legibus: propterea, quod in summa maiestate et imperio infinito, necessarium par inest potestas, quae *ἀνευ ἀντεξουσιότητος*, ut *Origenes* appellat, *ἀνοπνεύτως*, sine arbitrio libero, consistere nullo modo potest. Itaque Deus nequaquam incuriosus illius iuris et potestatis fuit, sed illam non minus quam ceteras diuinitatis partes, agendo testatam fecit, et agnoscere voluit ab hominibus. Paullus quidem *Rom. IX, II.* hac de causa Esau et Iacobo ante, quam nati essent, et quicquam recte secusue fecissent, h. e. sine virtutis, et recte maleue factorum respectu, fortunam suam ita destinatum esse ait, ut minor felicior esset maiori, *ὡς ἡ κατ' ἐκλογὴν πρόθεσις μὲν, ut libertas decreto diuino de ea re constaret*: eoque trahit Dei ad Moysen verba: *ἐλέησω ὃν ἂν ἐλεῶ, καὶ οὐκ ἐσθήσω, ὃν ἂν οὐκ ἐσθήσω*. unde rectissime colligit, id genus bonorum diuinorum e solo arbitrio diuino pendere *v. 16.* eumque adeo, *ὃν θέλει, ἐλεῆν, ὃν δὲ θέλει, σκληρύνει*: *beneficiis largum se praebere, cui libeat, parcum atque duriorum cui libeat.* Nam hunc



hunc esse sensum horum verborum, alibi a nobis demonstratum est.

67. Nec vero est, quod quis dicat, tale arbitrium esse reliqua perfectione diuina, quae sapientia, bonitate, et iustitia cernitur, indignum. Nam primum, id circumscribimus earum rerum finibus, quae nullam necessariam copulationem habent cum vera hominis beatitudine, sed ut iis aliquis utitur, ita ad salutem et perniciem possunt conuerti; ex quo genere sunt bona omnia, quae humana vulgo et terrena dicuntur, quibus neque tributus proprie beatus fit homo, neque detractis, vere, et ut Philosophi ac Theologi loquuntur, miser. Nec porro hoc arbitrium ita Deo tribuimus, ut ab ceteris eius perfectionibus omnibus prorsus seiunctum velimus, sed ei adiungimus sapientiam, quae vel praecurset eius decreta, vel sequatur. Neque enim dubitari potest, quin vel in tribuendis maiora consilia in rerum vniuersarum gubernatione proposita spectet, vel tributa dirigat ad magnum aliquod bonum, id quod ei facillimum est. In quo tamen clarum est, nullam hominis, cui tribuantur rationem hanc haberi, quae cum dignitate et merito eius coniungatur, ut iustitiae diuinae, et cuidam necessitati, res data videri possit.

68. In quo, ut hoc obiter addamus, magna argumenta insunt defendendae dispensationis diuinae in rebus ac bonis vitae humanae, non negligenda iis, qui in hac defensione recte velint versari, et satis occurrere vel criminationibus vel dubitationibus et querelis humanis. Nam quod in hac vel defensione vel consolatione maxime solet esse in promptu, ut futurae post mortem vitae commemoratione inuidiam detrahamus bonis, quibus improbi saepe in hac vita beneficio diuino fruuntur, et aegritudinem leniamus fidelium; id, quamquam est admodum graue, tamen rem non prorsus conficit, propterea, quod improborum indignitatem fruendorum talium bonorum non tollit, quae consentire cum iustitia et sanctitate diuina non videtur. Sed si hoc demonstraretur piis, ad maiestatem Dei pertinere, ut eius imperium liberum agnoscat, id autem in talibus rebus maxime, confer-

uata

uata sanctitate diuina, doceri posse, quibus proprie felicitas non contineatur, in hac ipsa autem libertate vsurpanda referri omnia ad consilia eius, quae cum generis humani commodis vniuersis, cum vtilitate ecclesiae coniunctionem habeant: cedant vtique libenter Deo, et suam commoditatem, et suauitates vitae condonent eius voluntati et consiliis maioribus, praesertim si intelligant, sibi in vitae humanae incommodis et molestiis esse materiam pernecessariam virtutum maximarum et Christiano dignissimarum, patientiae, fortitudinis, fidei denique vniuersae, exercendarum paratam, quibus virtutibus carere quomodo vel optet vere Christianus homo? careat autem necesse est, si expers malorum humanorum viuat.

69. Sed nobis in hac disputatione non est oratio de tali genere beneficiorum diuinorum, sed de eo, quod habet coniunctionem cum natura hominis morali, in quibus tribuendis sapientia diuina etiam aliis moralibus perfectionibus suis, iustitiae et sanctitati consulere debet, nec ab iis discrepare: quod sane nihil aliud esset, nisi semet ipsum et naturam suam abnegare, quod nullo modo fieri potest. 2. *Tim. II, 13.* Nam iustitia et sanctitas non minus necessaria Dei sunt attributa, h. e. quibus contraria in Deo cogitari non possunt, quam bonitas, quae etiam ab eo cum hac, in describenda maiestate sua, coniungitur *Exod. XXXIV, 14. Psalm. XLV.* Eas autem etiam puniendo exerceri et conseruari, declarat ipse Deus, cum se *puniendo sanctificari* pronunciat *Leuit. X, 3.* agnoscente ipso *Crellio de Ver. relig. l. 28.* in iisque etiam puniendo demonstrandis non minus se laetari, ait, quam bonitatis largitate *Deut. XXVIII, 63.* Sed haec saepe luculenter demonstrata sunt; nec ea repetere necesse est in hac disputatione: tantum locus attingendus fuit, propterea, vt clarum fieret id, quod volebamus, hoc est, religionem, quae arbitrio diuino constituta dicatur, si digna Deo esse debeat, nec spem salutis proponere posse aut debere eam, quae abhorreat ab iustitia et sanctitate diuina, cum consentiat cum bonitate, nec legem ac modum illius spei consequendae, in quo iustitia diuina idoneam

idoneam conquerendi causam habere videatur. Id autem fieri duobus modis, existimandum est; primum, si iustitia teneat ius suum, nec cogatur ita in ordinem, ut sine idonea, et certis legibus suis apta causa, puniendi facultas, siue potius necessitas, adimatur; deinde si sanctitati quoque suum tribuatur, h. e. si in utroque, inprimis in modo spei tenendae, nihil sit, quod hominibus vel necessitatem sanctitatis colendae demat, aut minuat, vel voluntatem, denique facultatem: sed omnia ad arctius adstringendum obligationis vinculum, ad studium eius incendendum, et ad facultatem eius consequendae ingenerandam augendamque valentia. Nam ita rebus constitutis, etiam, ut ita dicamus, lucratur maiestas diuina, h. e. non modo salua ipsa relinquitur iustitia et sanctitas, sed etiam illustratur, et bonitatis et sapientiae operibus gaudendi causas accipit; in quo ipso inest omnium inter se conspiratio et concordia.

70. Sed quoniam non minus bonitas Dei sapiens illustrari debet, quam cetera eius maiestas, huius quoque ratio habetur in religionis perfectione iudicanda. Itaque tum maxime consentaneam perfectioni diuinae et dignam maiestate eius dicemus, si spes salutis consequendae tota conferatur ad beneficium diuinum, in eaque nulla homini pars relinquatur: non, quo ita ei tribuatur, ut iustitia et sanctitas diuina laedatur, quod ante repudiauimus; sed ut in spei firmitate, non suo merito aut sua dignitate, sed sola Dei bonitate nitatur. Quae ratio hanc vim habet, ut in salute hominis omnia sint diuina, nihil humani; quod plurimum valere ad magnitudinem beneficii, et bonitatis adeo diuinae intelligendam, omnes vident. Sed habet ea res etiam hoc commodum, in hac quidem tali causa, in qua salus hominis et tranquillitas vera mentis agitur, longe maximum, quod ita spes salutis accipit summam veritatem, et ἀσφάλειαν, ut bene docet etiam D. Paullus, qui propterea κατὰ χάριν salutis spem propositam ait Rom. IV, 16. εἰς τὸ εἶναι βεβαίαν τὴν ἐπαγγελίαν, ut firma et certa sit promissio.

N

71. Et-

71. Etenim etſi omnis ſpes, quae promiſſione diuina proponitur, habet firmitatem tantam, quantam intelligere mens humana poteſt, ab neceſſitate abſoluta, quae eſt in veritate ac fide diuina, quod eſt *πράγμα ἀμετάθετον, ἐν ᾧ ἀδύνατον ψεύσασθαι Θεόν*. *Hebr. VI, 18.* locus tamen ſit dubitationi humanae, cum promiſſio habet adiunctam conditionem talem, quae aut ſit ſupra vires humanas, aut in cuius iudicio aliquid ambiguitatis incidere poſſit, per quam incertus fiat animus humanus, an ei fecerit fatiſ. Quae dubitatio et ambiguitas excluditur penitus, cum ſpes eſt tota beneficii diuini, nec ſuſpenditur e conditionis talis lege, quae in ſpei faciendae ſocietatem veniat. His igitur ita explicatis ac conſtitutis, age ad rem propoſitam veniamus, demonſtremusque, religionem Chriſtianam, quoad arbitrio diuino conſtituta ſit hominibus, talem eſſe, in eaque adeo re Deum ita, vti dignum eſſet vniuerſa maiestate ſua, verſatum eſſe.

72. Ac primum hic liceat ſumere, aut poſtulare, vt nobis concedatur id, quod eſt abunde demonſtratum a multis, religionem, quae in Teſtamento Vetere praefcripta fuerit populo Iſraelitico, ſumma rei nihil differre ab ea, quam Deus in Nouo per Ieſum Chriſtum ſanxerit: hoc eſt, vtrique commune eſſe hoc, vt ſalutis ſpes propoſita ſit fidei, quae promiſſionem diuinam ſalutis, propter Meſſiam factam, vero animo amplectatur. Nec habet proſecto res demonſtrationem difficilem, vno loco Paulli 2 *Tim. III, 15.* litem plane dirimente, in quo libris Teſt. Vet. hoc clare tribuitur, vt erudire poſſint homines de ſalute per fidem in Ieſum Chriſtum, totoque Cap. XI. Epistoſtae ad *Hebraeos*, in primisque verſiculo 25. 26. pro ea re clamante; vt alia taceamus. Hanc igitur ſummam, hoc caput religionis, arbitrio diuino hominibus conſtitutae, ante omnia docebimus, habere omnia, per quae talem religionem eſſe demonſtrauimus conſeruandae et illuſtrandae maiestatis et gloriae diuinae. In eoque nobis erit hoc magis laborandum, quod caput hoc paene totam cauſam continet.

73. Sed

73. Sed hanc ipsam rationem, de salutis spe per fidem I. C. quae res contineant, cum in elementis doctrinae tradatur, ea repeti hoc loco non est necessè. Inter eam porro rationem, s. fidem I. C. et salutem ac felicitatem ei propositam nullam esse naturalem ac necessariam copulationem, id ipsum quoque in superiori Parte disputationis demonstratum est. Quamquam res demonstratione non eget, cum propter illam ipsam causam, et quia in hac ratione salutis sperandae manifeste omnia Deo libera sunt, et arbitrio diuino constituta, fides ipsa repudietur ab male sapientibus, qui nihil in religione ferre, nisi necessaria, volunt. Relinquitur igitur, vt ostendamus, hanc rationem habere primum hoc, vt omnia faciat beneficii diuini, eaque re illustret gloriam bonitatis diuinae, et spem salutis reddat omnino certam; deinde alterum quoque, vt ad diuinae iustitiae et sanctitatis conseruationem, eo, quo ante definitum est, modo valeat.

74. Iam primum, quod spes salutis e sola promissione diuina pendet, et fide, quae promissionem amplectitur, ea re salutem omnem fieri beneficii diuini, id res ipsa declarat, et Paullus cum omnibus Prophetis et Apostolis clare docet, cum spem salutis datam docet, *Rom. IV, 16. 24. διὰ τῆς πίστεως, ἡμεῖς κατὰ χάριν, vt sit beneficium bonitatis diuinae, sicut δὲ ἀνεμοὶ δωρεὰν τῆ Θεοῦ χάριτι*, gratuitam remissionem peccatorum beneficio diuino habeamus, in eoque demonstretur magnitudo benignitatis diuinae *Ephes. II, 7. 8.* et ita omnia referantur ad Deum. Atque haec est causa, quare Deus salutem hanc, quae per fidem solam destinata est hominibus, appellet *salutem et iustitiam suam. Es. LVI, 1.* itemque Paullus *Rom. I, 17. δικαιοσύνη Θεοῦ, ex Esaias l. c.* In quo sua sponte intelligitur, quanta sit vis ad officium amoris aduersus Deum commendandum animis hominum, tantum beneficium accipientium sine vilo suo labore ac merito, e quo etiam in humanis beneficiis commendatio maxima petitur. Nec difficile est, hic intelligere sapientiam diuinam. Nam cum magna et efficacissima pars religionis et cultus diuini sit in amore eius, cuius nomine Deus subinde omnia religionis officia complectitur, a cuius fonte etiam

integritas et veritas obedientiae legum diuinarum ducitur, apparet, sapienter sic esse rationem salutis consequendae constitutam, vt in ea ipsa esset adiumentum et incitamentum omnis pietatis et officii.

75. Nec minus clarum est, ea ratione certam et ab omni dubitatione liberam fieri spem salutis. Nam quod Paullus dicit, sic institutum esse a Deo, vt salus contingeret *κατὰ χάριν, beneficio ac dono*, quo *βεβαιὰ ἢ ἐπαγγελία*, firma promissio efficere-tur, id res etiam ipsa declarat. Nam quia promissio Dei ipsa necessario vera et certa est, sequitur, si ei nihil adiunctum sit conditionis, quod euentum eius dubium reddere possit, omnem dubitationem e mentibus humanis excludi; quod secus foret, si contra esset. Etenim si fingamus ei promissioni adiunctum esse, non hoc, quod erat in promissione legis, vt omnibus numeris perfecta obedientia legi diuinae praestetur, sed illud modo, quod ad salutis spem certam sufficere volunt necessariae religionis defensores, vt, quantum quisque possit, sitque positum in his viribus humanis, tantum in obediendo fiat: clarum sit, nihil certi esse posse in spe salutis; propterea, quod nunquam confidere quisquam potest ac certo scire, se tantum fecisse, quantum posset. Est enim totum hoc iudicium per se incertum, et nihil est, quod det facultatem cum fiducia iudicandi: nec quisquam, etsi optima voluntatis sibi vere conscius, nisi valde sibi assentetur, aut temere iudicare velit, vel singulis diebus possit certo scire, se fecisse quantum potuerit, nec commississe aliquid, cuius vitandi facultas fuerit, aut neglexisse, quod facere debuerit ac potuerit. Itaque si ex hoc iudicio suspensa esset spes salutis, et euentus promissionis diuinae, videmus, qui locus fieret sollicitudinum et angorum in re ea, in qua habere animum humanum aliquid certi, quo plane acquiescere possit, maxime interest. Idque adeo fatentur Pontificii, salutem e sanctitate suspendentes, cum dicunt, quia nemo scire possit, quando satis operum bonorum habeat, semper debere dubitare, an sit in gratia: quae est horribilis et desperationis plena opinio. Quo magis agnoscitur benigna sapientia Dei, quae spe salutis ad solam bonitatem et promissionem suam

fua conferenda, omnem dubitationem amouit, et animis piorum veram tranquillitatem reddidit; quam talem spem, vt vere ait Paullus, *Ebr. VI, 19. ὡς ἀγκύραν ἔχομεν τῆς ψυχῆς ὀσφραλῆ τε καὶ βεβαίαν*, vt *ancoram animi certam et firmam* tenemus, qua firmiter niti, et omnes dubitationum ventos et fluctus contemnere securi possumus.

76. Sed hic occurrat nobis aliquis sic, vt dicat, in ipsa fide adiunctam esse promissioni diuinæ conditionem aliquam, homini praestandam: eam autem ipsam esse eiusmodi, vt dubium reddere animum in euentu sperando possit; cum satis constet, incidere animis posse dubitationes de fide, cum metuant, vt habeant fidem veram, cui promissio facta sit. Haec non sine specie veri dici scimus: nec tamen, quid certi responderi possit, non habemus. Primum enim, verissimum profecto est id, quod Theologi nostri, qui accuratoris loquendi formae curiosi fuere, defenderunt, cum negarent, in fide agnoscendam esse conditionem salutis, idque verbum ex hac causa plane excludi vellent. Nam profecto in fide, si rem recte reputare velimus, nihil aliud reperiamus, quam modum beneficii accipiendi, siue ipsam accptionem, quae sit contraria repudiationi. Qui ad beneficium dandum paratus est, idque offert indigenti, non profecto dat cum conditione accipiendi, quia vult accipi; et cum reuocat beneficium, quod spernitur nec accipitur, non quia conditio in dando proposita non praestatur, reuocat, sed quia beneficium, accipere recusanti, dari non potest. In fide igitur nihil aliud est, nisi beneficii a Deo oblata receptio, sine qua contingere id homini, id est, accipi ab homine posse, absurdum sit existimare.

77. Atque etiam hoc considerandum est in hac dubitatione, quod illa ipsa fides, si maxime in conditionis loco haberi posset, tamen non debilitaret spem beneficii, propterea quod fecus se res habet in fide, ab Euangelio sancita, quam in iustitia, ab lege spei vitae adiuncta. Nam lex iubet illa quidem facere et non facere, sed vim faciendi et non faciendi non dat, nec dare potest per naturam suam: demonstrat illa quidem viam ad

salutem, et eam inire, spem et metum proponendo, hortatur; sed facultatem ingrediendi constanter et tenendi non adfert. In quo grauis error intercessit olim Pharisaicae doctrinae, quae legi non modo vim illuminandae mentis ad videndum officium, sed etiam roborandi animi ad faciendum tribuebat, vt e *Iosephi de Maccabaëis* libello clarum est. Quam contra coortus Paullus, τὸ ἄδύνατον τῆ νόμου, *imbecillitatem legis*, in ea re asserit, et causam eius demonstrat *Rom. VIII, 3*. Sed Euangelium non modo hortatur salutem Dei accipere per fidem, sed etiam vi sua ingenerat, et inspirat fidem. Itaque Paullus hanc primam et summam Euangelii commendationem ponit *Rom. I, 16. 17.* quod sit δύναμις Θεῆ εἰς σωτηρίαν, *efficax et certissimum salutis humanae medium*, idque intelligi vult ex eo ipso, quod in eo proponatur δικαιοσύνη Θεῆ ἐν πίστει, iustitia et salus, quae tribuatur a Deo, veniat ab Deo vno, eiusque beneficio, sine opera humana, propter fidem. Sed talis δύναμις esse ac dici nullo modo possët, si modo praeciperet fidem, non etiam vi sua mentibus humanis ingenerare possët. Hoc discrimen legis et Euangelii idem Paullus etiam demonstrat in eiusdem Epistolae *cap. X, v. 5. sqq.* cum legem nihil aliud, nisi praecipere obedientiam, ait, salutem petentibus; at Euangelium longe aliter et loqui et facere. Nam in proponenda spe iustitiae et salutis non praecipere rem ita supra vires humanas positam, vt obedientiam legis; sed nihil nisi fidem exigere, quam ex ipso Euangelio venire: ἄρα ἡ πίστις ἐξ ἀκοῆς, ἡ δὲ ἀκοή διὰ ῥήματος Θεῆ, quod esse Euangelium, *v. 17.* docet. Atque id etiam rei ipsius, i. e. fidei et Euangelii natura facile declarat. Nam fides est hominis, in sensu peccati, et metu irae ac poenarum diuinarum, et desiderio salutis, credentis, et acquiescentis promissioni veniae et salutis propter Christum. Euangelium autem eam promissionem ita proponit, vt eius veritatem et firmitatem omni modo stabiliat, et animo attente et cupide audientis, et suis momentis ponderantis, admoueat, agente etiam in ipso vi diuina, quae iis rebus inclinet animum ad credendum.



78. Ex alia autem parte difficultatem habere res videatur hanc, quod in ipsa fide oriuntur dubitationes, quae sollicitos et anxios habeant animos, cum dubitant, an in se sit fides ea, quae vere accipiat promissionem; unde et spem salutis dubiam reddunt, quam nos, per rationem a nobis descriptam, ab omni ambiguitate liberari diximus. Enimuero longe diuersum est hoc genus dubitationis ab eo, quod ante §. 75. tetigimus, nec est proprie dubitatio talis, quae fidei veritatem ipsam minuat aut tollat, ac propterea periculum salutis habeat. Nam in legis iustitia, spes proprie nititur actionibus nostris, quibus propter dignitatem salus datur. Itaque iusta de iis dubitatio conuiescere animum non sinit: tollit enim spem salutis. At in iustitia Evangelii, nititur sola promissionis diuinae veritate, quae ubi salua est in animo hominis pii, etiam salutis spes, et salus hominis ipsa salua maneat et certa necesse est. Sed homines pii, cum de fide sua se dicunt dubitare, non de promissionis veritate dubitant, quam etiam fateri solent, esse sibi ratam et minime dubiam. Ergo non proprie de fide sua, quam in se esse illa professione declarant, sed vel propter modestiam, de dignitate dubitant, quae e sanctitatis magnitudine veniat, quod etiam salubre est, vel opinionibus quibusdam suis perturbantur. In quo genere maxime frequentem cognouimus hanc, quae sensus quosdam mirificos, ad consolandum, pacandum, et exhilarandum animum ita adiungit fidei, vt sine iis, eorumque constantia et assiduitate, fidem nullam esse putet, nec credat litteris diuinis, quae fidei iudicium non e talium sensuum inconstantia et varietate suspendunt, sed ad infallibilem et constantem regulam verbi diuini dirigunt, quod illos sensus, eorumque inprimis constantiam et vigorem, ἐν τοῖς συμβεβηκόσι, in contingentibus fidei, numerat, necessariumque facit vnum hoc, vt vero et integro animo benigne promittenti propter Iesum Christum Deo reddatur sua veritas ac bonitas; quod tribuitur Abrahamo omnium fidelium principi et verae fidei exemplari, qui εἰς τὴν ἐπαγγελίαν τῆ Θεῶ εἰ δεικνύθη τῇ ἀπιστίᾳ, ἀλλ' ἐδυναμώθη τῇ πίστει, δὲς δόξαν τῆ

τῷ Θεῷ — — διότι κη ἐλογίσθη αὐτῷ εἰς δικαιοσύνην —  
*non promissionem Dei in dubitationem vocans, fidem ei detraxit,*  
*sed promissionem fide ratam habendo, Deo gloriam suam reddi-*  
*dit — et hanc adeo ob causam, id ei imputatum est pro iustitia.*  
 Est sane locus hic magnus, et diligenter tractandus, propterea  
 quod in eo est aliquid lubrici, quod fallere vestigium non firmo  
 gradu incedentis possit: suntque multi hodie, qui illos sensus  
 incaute et immodice iactando, vel sanctitatis speciem colligere  
 tentant, vel simplices et incautos animos in errorem inducunt,  
 et grauibus animi terroribus obnoxios faciunt. Sed hic tantum  
 attingi potuit.

79. Sequitur, vt quemadmodum propositum est, doceamus, hanc rationem salutis sperandae esse accommodatissimam conseruandae iustitiae et sanctitati diuinae, et illustrandae, ad eum modum, quem supra descripsimus §. 69. Atque, vt ab *iustitia* initium faciamus, clarum et testatum est litteris sacris, bonitatem diuinam, in concedenda et promittenda salute, non ita sibi indulfisse, vt iustitiam negligeret aut obscuraret. Non enim simpliciter voluit salutem dari poena dignis, sed intercedente peccatorum ἰλασμῷ, *expiatione* iusta, et ἀπολυτρώσει, *redemptione*, per I. C. vt intelligeretur non minus iustitia quam bonitas diuina, εἰς τὸ εἶναι αὐτὸν δίκαιον κη δικαίωντα τὸν ἐν πίσειω Ἰησοῦ: *vt esset iustus pariter et iustificans credentem*: vt in eadem re iustum se et benignum probaret, reuerendum et amabilem hominibus redderet, ipse autem praeclaris iustitiae pariter suae et bonitatis operibus gauderet §. 68. Quo in loco, vt aliis, in quibus Christus nos ἐξαγοράσαι, *redemisse* dicitur, 1. Cor. VI, 7. ἀντιλυτρον *redemptionis pretium dedisse* 1. Tim. II, 6. soluisse quod non debuerit Ps. LXIX, 5. inprimisque capitali illo Ef. LIII, 4. sqq. tanta euidentia est verborum et sententiae talis, vt nulla ratione obscurari possit. Itaque Sociniani, eorumque asseclae, se in omnes partes versare coguntur, vt aliud quid in iis reperiant, dissentiantque ipsi in sensu eorum locorum definiendo; sed omnes ita interpretantur, vt interpretationis nullum fundamentum

mentum fit in verbis et vsu loquendi, a quo discedere in sententia constituenda, non iam est interpretari, sed, quod lubeat, fingere. Quae res certo argumento est, non modo omnes illas interpretationes esse falsas, sed etiam nostram, quae iustitiae diuinæ et sanctitati per Christum satisfactum defendit patiēdo et agendo, et in qua nihil demonstrari potest abhorrens a verbis, immo non optime consentiens verbis et vsui loquendi, veram et certam esse. Nobis autem in hac nostra disputatione nihil aliud demonstrare necesse est, quam per rationem hanc salutis, quae arbitrio diuino constituta sit hominibus, ita bonitatem se exserere, vt iustitia et sanctitas in peccatis condonandis conseruetur. Nam necessitatem rei et modi talis, et ea satis arguunt, quae de iustitia et sanctitate Dei ante diximus §. 68. nec eam philosophando demonstrare attinet. Ac nescimus, an omnino necessarium sit, longis et subtilibus disputationibus super hac necessitate vti. Nam cum nobis hic pugnandum sit cum iis, qui se Christianos profiteantur, agnoscantque auctoritatem sacrarum litterarum, satis esse debet demonstrasse euidētia testimoniorum scripturae sacrae, talem satisfactionem iustitiae et sanctitati diuinæ per I. C. intercessisse in causa salutis nostrae. Etenim vbi res ipsa clara est, intelligi debet sua sponte necessitas eius: quippe absurdum est existimare, Deum huc descensurum fuisse, vt sibi ita satis fieri veller, si nulla necessitas digna sua maiestate id postularet. Itaque nobis optimum factu videtur, in hac cum Socinianis disputatione, nisi sola hac euidētia auctoritatis Scripturarum, per eam vrgere ipsos, nec alii disputationi se immittēdo, donec ostenderint, nostram sententiam non inesse in verbis diuinis, nec inesse posse; quod nunquam poterunt efficere. Ita nulla iis elabendi rima dabitur, quam facilius inueniunt in philosophando super necessitate et possibilitate talis satisfactionis, praesertim cum incidunt in disputatores non satis instructos subtilitate differendi, quorum est maximus numerus: nec potest negari in libris vulgaribus multa parum subtiliter in hanc partem disputata reperiri.

O

go. Sed

80. Sed *sanctitati* diuinae in hac nostra ratione salutis non modo communiter cautum est cum iustitia, quae in puniendo cernitur, sed etiam proprie multis modis, et plane ad eam legem quam supra proposuimus §. 69. h. e. ita vt *necessitas* sanctitatis non modo non sublata et minuta, sed etiam aucta sit; *voluntas* porro iniecta, et *facultas* sanctitatis persequendae data. Quae sunt breuiter nobis demonstranda. Ac necessitas illa quidem officiorum omnium seruandorum, et sanctitatis vniuersae, quam scholastica consuetudo obligationem appellat, siue ab ipsa officiorum natura, siue ab lege, et legislatoris ac Domini iussu, siue ab vtroque venit, de quo nihil hic attinet disputare, ea igitur necessitas conseruatur in illo arbitrio diuino; quod eo nec natura rerum humanarum ac diuinarum peruertitur, nec lex diuina aut voluntas, quae illam legem sanxit, mutatur aut tollitur: fieri enim nullo modo potest, *Matth. V, 17.* quod secus est in necessitate cerimoniarum seruandarum, quam lex Mosis attulerat ad certum modo tempus, et e consilio Dei, vt ita dicamus, temporario. *Ebr. VII, 12. 13.* etc. Nec modo salua relinquitur illa necessitas, sed etiam dupliciter augetur: primum sic, vt magis intelligatur ac sentiat; deinde vt nouis causis firmetur et adstringatur. Nam cum ita existimatum esset ab hominibus expertibus Euangelicae sapientiae, vt sperarent, Deum remittere in hominibus de iure iustitiae, et peccatorum culpam et poenam deprecantibus, propter ipsam deprecationem, condonare, quod nunc quoque tantopere placet necessariae et naturalis religionis patronis; ex Euangelica illa, de spe salutis per fidem in Christum doctrina, intellectum est longe planius, quam grauiter irascatur peccatis iustitia diuina *Rom. I, 18.* sqq. et quanta sit legis conseruandae necessitas, qua ipsa bonitas illa infinita Dei superetur, vt non possit iis, qui legem violassent, se benignam praebere, si maxime cupiat, nisi satisfactum sit legis maiestati, et iustitiae, cuius est, maiestatem illam legis tueri, eamque ob causam necesse habuerit, si vellet seruare homines, et poenis eripere, idoneam victimam dare ad expiendam legem et iustitiam diuinam.

diuinam. Quae res habet tantam euidentiam, vt ipsi aduersarii huius capituli, agnoscere cogantur, si res ita sit, vti nos, credentes verbis Scripturae, statuamus, et legi diuinae necessitatem seruandi summam accedere, et iustitiam, quae irascatur peccatis, tantam fieri, quantam capere mens humana non possit. Nos igitur, quod dant, accipimus, et ad laudem Oeconomiae Evangelicae, tantopere illustrantis augentisque vim legis et iustitiae diuinae, conferimus: alterum hoc loco refellere non suscipimus. Nec tam quaeritur in diuinis, quid mens humana capere possit, quam quid credere Dei verbo debeat. Quamquam ea magnitudo non tam contra aut supra rationem est, quae iustitiam a Deo ne cogitando quidem seiungi posse (§. 68.) intelligit, quam contra cupiditates humanas, quarum interest, legis et iustitiae diuinae vim quouis modo minui, vt sibi, minori cum timore, indulgeri possit. Vere ergo Paullus: *Νόμον ἔν καταργῆμεν διὰ τῆς πίστεως; μὴ γένοιτο· ἀλλὰ τὸν νόμον ἰσώμεν.* Num abolemus fide defendenda legem? immo legem stabilimus. Rom. III, 31.

81. Nec vero ratio illa salutis tenendae legem modo stabilit, necessitatem eius seruandae clarissime demonstrando, sed etiam afferendo voluntatem studiumque eius seruandae, et sanctitatis verae persequendae: quam quomodo non iniiciat, alatque, et firmet? cum nihil sit, quod valere apud hominem in tali re, et vim habere ad voluntatem talem possit, quod non abunde adferat, et admoueat animis humanis. Atque in eo haud dubie longe vincit legem, quae metum et spem adhibet animis humanis; cum Euangelica ratio amoueat metum, benigne promittendo, et non modo spem adhibeat certam praemiorum maximorum, sed etiam amorem iubentis, in illa ratione clarissimis et maximis documentis demonstratum, Io. III, 16. Rom. V, 8. etc. quo nihil in voluntate mouenda, et ad obedientiam allicienda efficacius esse, consentiunt omnes. Accedit exemplum I. C. sanctissimum et pulcherrimum in omni genere officiorum, quod non potest non allicere hominis voluntatem ad imitandum, non modo communi illa exemplorum illustrium vi, de qua nemo

dubitat, sed etiam propria quadam et longe potentiori, quam ei dat beneficiorum, ab ipso nobis maximarum aerumnarum et cruciatuum mercede partorum, magnitudo, et ipsius I. C. ad imitandum lenissima et amoris plenissima inuitatio, *Math. XI, 29.* qua non potest non moueri, qui illa beneficia et eorum conciliatorem agnoscat, et partam ab eo salutem per fidem teneat, et vero etiam sentiat.

82. Sed hæc voluntas, non est imbecilla et ignaua, atque inefficax in agendo, vt est plerumque in iis, qui, alicuius humani exempli aut virtutis pulcritudine cognita, suauiter mouentur ad voluntatem imitandi: quae magis voti imbecillitatem, quam verae, certae, et actiuae voluntatis firmitatem habet. Nec enim quod optamus a nobis fieri, semper facere serio volumus, obstantibus voto aliis cupiditatibus, aut, quae volumus, eadem possumus. Itaque Paullus rectissime distinguit *velle*, et *facere*, quae velis, *Rom. VII, 15. 22. 23. Phil. II, 13*, et non necessario coniuncta ostendit, secutus magistri, I. C. auctoritatem, qui voluntatem paratam saepe destitui docuit a virium imbecillitate, *Math. XXVI, 41.* Euangelica autem ratio habet hanc vim, vt etiam promittat et det *facultatem* obediendi, veraeque sanctitatis consequendae, et sic vere ac proprie legem stabilit ac sancit per fidem, quae diuinam salutis promissionem vero animo complexa est. Quam vim ei cum tota Euangelii doctrina asserit, tum Paullus inprimis. Nam *Rom. VIII, 1.* absoluta demonstratione, quam in ea epistola susceperat, et eius summa repetita, quae vni fidei in I. C. innocentiam et securitatem a culpa et poena peccatorum attribuit, eidem vim ad veram sanctitatem generandam, et facultatem obediendi legi diuinæ vindicat. Hanc autem vim et facultatem ducit hinc, v. 2. quod cum fide detur *πνεῦμα τῆς ζωῆς*, i. e. *ζωοποιῶν*, *spiritus vitalis*, per quem homo liberetur *ἀπὸ τῆ νόμου τῆς ἀμαρτίας, καὶ τῆ θανάτου*, a lege et potestate mortiferi peccati, de qua superiori capite egerat, h. e. ab illa non modo *ἀδυναμία* legis seruandae, sed etiam ab imperio inuictae peccandi libidinis, quae lege non tollitur,

litur, VII, 5. \*) sed potius irritatur, *ibid.* 8. sqq. Etenim quod lex efficere non potuerit, fracta eius vi, et sublata per naturae humanae imbecillitatem, et vitiorum humanorum vim longe maiorem, id Deum, misertum generis humani, effecisse, per Iesum Christum, ita destructa vi peccati, (hoc enim est, κατέργωε τὴν ἁμαρτίαν ἐν τῇ σαρκί) quae nobis dominabatur, vt fideles vere obedire legi possent, v. 3. 4. sqq. Et idem Apostolus, cum in religione Christiana, et ratione salutis sperandae a Christo proposita, omnia fidei esse pronunciat, *Gal. V, 6.* eam fidem sic describit, vt ab ea vim obediendi Deo, et praeceptis eius, venire ostendat. Etenim fidem ἐνεργείσθαι δι' ἀγάπης, *efficacem se praestare per amorem*, qui est verae obedientiae optimus magister, et omnis officii fons: vnde legis summa, et πλήρωμα dicitur, *Matth. XXII, 40. Rom. XIII, 8. 10.* Itaque recte notam verae fidei facit fructus illi, quibus *per I. C.* homines repleti ait Paullus, *Phil. I, 11.*, quod nihil aliud est, nisi *per fidem*. Sed haec latius multo edisferi possent, si laudes, fidei tributas in Scripturis, colligere et copiose tractare vellemus: quod non est instituti nostri, ex quo satis est, hoc totum leuiter attigisse. Quamquam compendium earum laudum quoddam habemus in Epistola ad Hebraeos XI, vbi docet Apostolus, a fide esse obedientiam, etiam iis in rebus, quae duram conditionem habeant, v. 8. contentum rerum humanarum in vtramque partem, v. 24. sq. constantiam, fortitudinem, et patientiam in rebus aduersis, v. 23. 27. 36. sqq. Quae omnia pertinent ita ad laudem fidei, vt ei vim sanctificandorum hominum clarissime asserant.

83. Hanc autem vim quomodo habeat fides, et si concedimus *Episcopo, in Apol. Confess.* R. non opus esse nobis, vt sciamus, aut quaeramus, propterea, quod nec, qui habet veram fidem,

O 3

ea

\*) \*Οτε ἤμεν ἐν τῇ σαρκί, τὰ κατὰ νόμον τῶν ἁμαρτιῶν, τὰ διὰ τὸ νόμον, ἐνεργάτο ἐν τοῖς μέλεσιν ἡμῶν. i. e. cum adhuc eramus alieni a fide Christi, adhaerentes soli legi, vis peccatrix cupiditatum, quae cum lege manebat (τὰ διὰ τοῦ νόμου, vt *Rom. II, 27.*) integra, efficacem se demonstrabat in omnibus partibus naturae nostrae.

ea de causa recte faciendi facultatem non habet, quia modum ignorat, quo eam facultatem fides dat; nec, qui caret fide, modi illius scientia fit sanctus: tamen, postquam iniecta est illa quaestio, propositis eius explicationibus variis, non videtur negligenda his, qui doctrinae publicae praesunt, ne a pueris eius explicationibus vitium capiat fidei ipsius vis et notio, quae vel sic satis vexatur, vel impietate hominum, vel inscitia; omni modo laborantibus permultis, ut fidem nobis efficiant, quae sit legis non Evangelii, non Christi sed Philosophorum, non gratiae sed naturae. Atque, ut ne quis in hac quaestione vagetur incertis regionibus, unde declinatio fiat ad errores graues, illa prima et summa cautio est, ne, dum faciliorem nobis eam explicationem reddere cupimus, in fidem inferamus id ipsum, cuius causam quaerimus; quod faciunt cum Arminianis, qui in ipsa fide inesse dicunt voluntatem firmam obediendi, et amorem Dei, aut animum se suaque omnia dicantem et consecrantem Deo, et alia his similia. In quibus sane admodum facile est, videre, quomodo e fide nascatur obedientia cum bonis operibus. Sed ita adiungitur fidei ipsi, quod a fide oriri, clare loquuntur scripturae, ut ante docuimus, et fides inter legem et Evangelium male diuiditur. Nam Evangelii est sola promissio, quam fides amplectitur, amor autem et voluntas Deo obediendi, et se Deo consecrandi, est legis, quae Deum super omnia, adeoque etiam supra nosmet ipsos, et nostra omnia, amare iubet. Itaque nec hi placent, qui in fide Christum, non modo ut mediatorem et expiatorem, sed etiam ut doctorem et regem, ac dominum teneri iudicant, ut sanctitatis origo ex fide declarari possit, ut *Wirsius Oecon. Foed. diu. p. 355. et alii*: nec, qui fidem eam, quae salutem dat, assensu, ad omnia doctrinae Christianae capita, ut de Deo, de summo bono, promissis omnibus, pertinente, capiunt; unde per naturam animi necessario amor Dei, et sanctitas, sequatur. In quo non modo fidei verae inscitia peccant, sed etiam veri et efficacis amoris, qui non oritur e boni scientia, sed e boni potius accepti possessione, fructu, et sensu. Veteres nostri Theologi, quamquam



quam de hac re plerumque ita loquuntur, vt potius rem ipsam, hoc est, coniunctionem sanctitatis cum fide, vt effectus cum sua causa, affirmant, et similitudinibus congerendis, vt ignis, vt magnetis, vt arboris felicitis, illustrent, quam vt modum coniunctionis distincte explicent: tamen non obscura verae rationis vestigia impressa in scriptis suis reliquere, donatum fidelibus Spiritum S. et grati animi studium commemorando, inprimis *Melanthon in Comment. in Epist. ad Rom. et in Locis.* Recentiores autem, ab illius simpliciter contemtu, dum philosophorum more explicare modum coniunctionis accommodate ad intelligentiam nostram explicare instituerunt, in varias sententias discessere, et magnis se difficultatibus impediuerunt.

84. Ac nobis videtur difficultas rei, et dissensus doctorum hinc maxime nasci, quod, formis loquendi popularibus, et similitudinibus iis, quas diximus, conturbati, illam coniunctionem talem imaginati sunt multi, vt tota sanctitas cum suis fructibus e fide statim sua sponte, et necessario ac physice, et ex ipsa fidei essentia, vt *Hulsemannus* loquitur, de *Auxil. Grat. p. 412.* consequeretur. Quae res profecto in deum abegit multos, in his *Curcellaeum Inst. Rel. Christ. VII, 7.* et in *Diatr. de Iustific. in fin.* qui non aliam magis ob causam negat, fidei iustificantis formam esse in accipiendo beneficio per Christum parto, quam quod, quomodo hinc caritas et vniuersa sanctitas nascatur, prorsus intelligi non possit. Sed id hoc modo intelligi non debet. Nec ita intelligere ipsa sanctitas et virtutum ac bonorum operum natura, sacris literis tradita, finit; per quam non possunt repente existere, ac velut in animos infundi. Quorsum autem opus esset praeceptis, de sanctitate ad fidem adiungenda, et cohortationibus? quae exercitationum porro necessitas esset, quarum assiduitatem et constantiam fidelibus commendamus, vt constantiam recte agendi consequantur? Vim Deo vere obediendi secum *adfert* fides, quae fouenda, alenda, et ad firmitatem exercitatione perducenda est, vt ad fidem vera sanctitas et virtus accedat. *2 Petr. I, 3, 5.* vbi ἐν τῇ πίσει intelligendum est  
cum

*Principium*  
*Bo. P. 11*

*cum fide*, vt in ceteris formis similibus, quae sequuntur. Animus vt primum accepta est fides, ad pietatem et officium leniter mouetur. At illis motibus, quibus noua vis se exerit, obediendum est exercendo, adiuuante Spiritu S. Nec aliud voluere Theologi nostri in hac disputatione, quorum similitudines, a magnetem, igne et arboribus ductae, non ad viuum refecandae, sed accommodatæ ad rei naturam explicandae sunt, vt omnes ceterae, quae a rebus corporeis ductae, ad res incorporeas et liberae transferuntur. Quomodo autem illa facultas et illa initia sanctitatis cum fide veniant, in eo nihil melius fuerit, quam Scripturam audire et naturam fidei consulere.

§. 85. Primum igitur audiamus Scripturas: quae fundamenta huius nouae facultatis ponunt in fide, non ἀμέσως, quae est acceptio beneficii diuini, et actus animi humani, sed ἐμμέσως, per eius effectus et fructus proximos; quorum alter cernitur in remissione peccatorum, quae, de beneficio Dei et promissione, cum fide ita coniuncta est, vt non tempore, sed sola cogitatione, ab ea discerni possit: alter in tranquillitate conscientiae ex fide, per peccatorum condonationem, Rom. V, 1. Et ab remissione peccatorum quidem clare origenes sanctitatis et obedientiae repetuntur apud Ieremiam, in vaticinio nobili de N. T. felicitate XXXI, 33. sq. repetito per Paullum Hebr. VIII, 9. sq. Nam cum dixisset, huius noui foederis rationem longe diuersam fore a pristino: propterea, quod vetus non seruatum, hoc autem sanctitatem veram et virtutem allaturum esset; rationem eius tanti boni subicit hanc Ierem. l. c. 35. Hebr. l. c. 12. etenim propitius ero malefactorum eorum, et peccata ac delicta eorum obliuioni traditurus sum. In quo proprie inesse foederis illius beneficium, e quo alterum sequatur, idem Panllus declarat alio loco (Rom. XI, 27.) idem vaticinium repetens: αὐτὴ αὐτοῖς παρ' ἐμὲ διαθήκη, ὅταν ἀφελῶμαι τὰς ἀμαρτίας αὐτῶν. Res autem sic se habet. Cum Deus per fidem purgauit hominis animum, abstergendis condonatione peccatis, Act. XXV, 9. adoptrauitque per fidem regeneratum, venit in eum Spiritus S. Gal. IV, 5. 6. suamque ibi vim

vim explicat in opere sanctitatis per suum verbum, a quo ille, *Io. I, 12.*, vim recte agendi et omnia accipit; vnde noua illa sanctitas *ἀγιασμός πνεύματος* vocatur 2. *Theff. II, 13.*, et omnia recte facta, omnesque nouae virtutes *καρποὶ πνεύματος* appellantur *Gal. V, 22.* Nam Deus Spiritu suo sanctificare homines decreuit, cum ratio et natura non posset: sed eum donare nisi purgatis non potest. At condonationem peccatorum statim sequitur Spiritus S. donatio, vt noster *Philippus* loqui solet. Hoc fere modo rem explicant etiam Auctores *Declar. F. C. art. 2. et 3.* Ex quo intelligitur, renouationem hominis credentis in I. C. et inde ortam sanctitatem cum bonis operibus coniunctam esse cum fide, non physice, vt ex ipsa acceptione beneficii per Christum parti, in qua est forma et essentia fidei, qua tali, necessario nascatur, vt *Hulsemanno* et aliis visum videretur; nam id intelligi nullo modo potest: sed beneficio libero Dei, qui Spiritum sanctificantem donare decreuit ei, qui beneficium Christi acceptasset, h. e. qui Spiritui S. fidem in animo generaturo per verbum, non repugnasset, sed cum absoluere hoc opus suum fuisset. *Placetta de Fide II. 24. extr. Il ne faut pas chercher dans la nature de choses mêmes la véritable cause de l'inséparabilité de la foi et de la piété. Il faut, si je ne me trompe, la chercher uniquement dans la volonté de Dieu. Il faut dire, que cet effet vient de ce, que ni la foi, ni la piété ne pouvant se former dans l'ame, que par une operation surnaturelle du S. Esprit, il plût à cet Esprit Saint, de ne produire jamais l'une de ces choses sans l'autre.* Bene facit et nobiscum sentit, cum illam coniunctionem a beneficia Dei voluntate et dispensatione repetit: nec id nouum est eius inuentum, sed cum antiquioribus Theologis nostris commune. Sed id erat distinctius explicandum; et vltima sic intelligenda, vt necessitas remoueat, existimeturque Spiritus sanctificationis dari cuilibet, qui ei, fidem generaturo in animo, non restitisset. Omnis alia ratio, quantum nos iudicare possumus, aut parum subtilis, aut Scripturis non satis conueniens, et diuersa male permiscens reperietur.

86. Nec tamen sumus ii, qui in hac causa excludamus alterum fidei fructum, qui est in pacata per ipsam conscientia; a qua nonnulli ita sanctificationem repetunt, ut per eam naturali quodam vinculo cum fide coniungatur, cum dicant, fieri non posse, ut eum non amemus, atque ei adeo obediamus, a quo tantum beneficium acceperimus, ut *Witsius in Irenico c. 15. §. 15.* Sane non videtur fieri posse per naturam animi humani, ut ille sensus tranquillitatis et omnino beneficii diuini, per Christum dati et accepti, non alliciat animum ad amandum Deum, atque adeo aliquem amoris sensum commoueat. Sed tamen non vna hic difficultas exoritur, si rem diligentius consideremus, propter quam nec ab hoc fonte vno, nec proprie aut maxime, possumus *facultatem* Deum vere et constanter amandi et sancte viuendi, deriuare. Nam primo, si fidem ille sensus secutus erit, praesertim viuidior et constantior, habebit ille profecto vim pertinentem ad amorem Dei, atque inde ad obedientiam; sed et hic sensus et haec ipsa eius vis erit a Spiritu S. illapso per fidem animis, *Rom. XIV, 17.* eritque illa vis magis in alliciendo et incitando ad amorem et officii studium, ut supra diximus, quam ingenerando vero et constante amore, et pari obedientia, aut facultate obediendi legi diuinae conferenda. Omninoque ipse amor, qui proprie dicitur, non tam facultatem dat obediendi, praesertim si res praecepta est supra vires, quod accidere posse clarum est, quam voluntatem ingenuam et integram, quae tamen et ipsa multis rebus debilitari potest, et in se, per illecebras rerum humanarum, et in actione ipsa, opponentibus se multis intrinsecus et extrinsecus impedimentis, quae vinci, nisi viribus a Spiritu S. acceptis, et adiuuante ipso, non possunt. Quid vero, si in ipsa fidei veritate, tamen ille talis sensus tranquillitatis et laetitiae, aut omnino non existit, aut obscurus est et hebes? quod saepe accidere, non dubitare nos sinunt exempla piorum, eo nomine querentium: quippe et Spiritus Sanctus hoc *χαρισμα* nec omnibus, nec eadem mensura tribuit: et obscuratur saepe sensus ille multis etiam humanis et naturalibus causis,

vt

vt bene admonetur in *Declar. F. C. art. 2. p. 672.* Nec ille sensus facile oritur nisi a *πληροφορία πίστεως*, in qua non est essentia, sed summus gradus fidei, ad quem forte pauci perueniunt. Atque etiam est inconstans et varius, quia non necessarius est ad salutem, vt supra diximus §. 78. Sed res tam varia et inconstans non potest esse vna aut propria ac necessaria causa rei certae et constantis, qualis est, aut esse debet sanctitas a fide profecta. Relinquitur ergo, vt effectus ille fidei, qui est in conscientiae pacatae sensu suauis, et laetitia e beneficio Dei, si contingat credenti, valeat ad bonam voluntatem, et hactenus etiam ad facultatem obediendi legi diuinae, quod ea esse non potest sine vera et integra voluntate, summa rei proprie tribuatur Spiritui Sancto propter fidem dato, per verbum operanti, et hominem ad sanctitatem contententem in exercendo adiuuanti, vt supra demonstrauimus.

87. In hac ipsa autem Oeconomiae diuinae parte, i. e. modo facultatis huius vel tribuendae vel adiuuandae, multiplex bonitas et sapientia diuina cernitur. Primum bonitas, quod misertus imbecillitatis nostrae, hanc quoque partem religionis ac cultus, per quam salutis compotes, dignos se auctore salutis sanctissimo praestarent, sui beneficii esse voluit, largiendo Spiritu suo, nec eius beneficii aliam conditionem in conferendo tulit, quam salutis ipsius veram et cupidam acceptionem, in conseruando autem eius usum talem, per quem appareret, non temere datum esse hoc sanctum beneficium, et abiectum, sed in loco positum, h. e. apud eum, qui id conseruare atque etiam augere amore, cura, labore, exercitatione cuperet. Et erat illius bonitatis tanta necessitas, vt sine ea nunquam verae, integrae et constantis sanctitatis ac virtutis facultas contingere potuisset: quae nunc etiam ita oppugnatur vndique a reliquiis viciositatis naturalis, vt saepe post grauem demum et longam luctam vincat. Huic autem bonitati par est sapientia, quae cernitur in eo, quod Spiritum suum noluit vi infinita agere et absolute in sanctificandis fidelibus, et operibus sanctitatis efficiendis, in quo esset coactio et vis, cui resisti non posset, tollensque virtutis veritatem, quae,

nisi libertate salua, ipsa salua esse non potest; sed *modo quodam*, apto ad conseruationem libertatis humanae, et *lege certa*.

88. Nam vti conuertendi hominis, ita sanctificandi rationem omnem sic adstrinxit verbo suo, vt per id solum opus vtrumque perageretur a Spiritu suo, non modo docendo, sed etiam efficiendo *Luc. XVI, 29. 31. Io. XVII, 17. 1. Petr. I, 22. 23.* Qua re fit primum, vt vis Spiritus Sancti agens, vel in intellectum hominis vel in voluntatem, cum per se sit infinita, *ἄμαχος* et *ἀνυπερβλήτος*, (nam est in nutu voluntatis eius, cui simpliciter et nullius rei finitae interuentu [immediate] agenti, resistere nihil potest, *Rom. IX, 19.*) vt ea igitur accipiat in ipso actu aliquem modum, ab instrumenti [medii] natura, per quem illa sufficit quidem efficiendae fidei et sanctitati, sed ita, vt ei resisti possit. Est enim hoc commune omni generi instrumentorum, vt ab iis vis agentis in modo agendi determinetur, eaque se exferat in obiecto pro instrumenti ratione ac natura. Est autem verbi diuini eadem natura, quae est omnis veritatis ad actionem spectantis, vt eius actio sit primum in intellectum, deinde per hunc in voluntatem et animum vniuersum. Sed et illius in intellectum actionis, a veritate qualibet, effectus impediri potest multis modis, vt constat inter omnes, et omnis motus voluntatis et animi ex intellectu ortus, liber est, et repugnandi facultatem relinquit. Itaque quamquam vis diuina in verbo et veritate verbi agens in mentem hominis longe maior est cuiusuis alius veritatis vi: neque enim posset vincere vel tenebras mentis, vel duritiem animi: tamen a veritatis natura et ratione ita veluti temperatur, vt absit a coactione, retineatque animus, cum ei cedit, suam libertatem. Quae res primum est digna homine, cuius natura, qua non est vitiosa, sed similis diuinae, recte conseruatur: deinde Deo, Patre et Domino generis humani, eodemque sancto et iusto, cui primum vera obedientia debetur, quae esse non potest, nisi libera sit; qui deinde praemia tanta, quanta promisit liberaliter, virtuti necessariae et mechanicae impertire nullo modo possit.

89. Illud

89. Illud ipsum, quod hanc vnam et ratam legem fidei et sanctitatis a se gignendae, et ab hominibus sperandae, quaerendae et parandae fecit, quantum beneficii et sapientiae habet? nec modo propterea, quod ea est omnium hominum ingenis, fortunae, temporibus denique omnibus apta, sed etiam, et multo magis, quod ea non finit hominum spem, aut voluntatem incertam vagari, sed demonstrat, quo eundum sit, quid agendum, nec finit errare quemquam, aut fallit spem. Vis conuerti, ad fidem adduci, sanctificari? Ne longe quaere viam, aut incerta spe expecta, dum tu vi diuina conuertaris, credere, et sanctificari possis. Vt qui satiari vult, scit sibi cibum capiendum, et ad eum parandum sumendumque festinat; neque in eo dubitat, aut errare potest: sic tu scito, verbo diuino recte audito, lecto, et cogitato opus esse, nulla alia re. Audies ergo, leges et meditare serio verbum. Et vt ille satiatur, sic tu conuerteris, credes et sanctificabere. Quid potest esse salubrius hac tali certitudine, aut ad tranquillandum animum aptius? Est autem certitudo illa et securitas in agendo cum in omni re graui optabilis, tum maxime in causa salutis nostrae: nec quidquam magis cruciat et angit animum, quam cum in tali re incertus errare ac trepidare cogitur, nec certo scit, quo se conuertere, quid et quomodo agere debeat. Quo magis etiam, vt hoc obiter addamus, repudiandi, et vitimae stultitiae accusandi sunt, qui vel malint per actionem diuinam sine verbo, h. e. per vim, quae proprie dicitur, ad fidem et sanctitatem duci, siue potius trahi; vel illuminationem, fidem et sanctitatem contingere sine verbo putant, et incerta spe expectare iubent. Etenim peruertunt et vituperant sapientiam diuinam, repudiantque summum beneficium, eruntque in illa sua expectatione simillimi rustico Horatiano, qui non eo, quem res et ratio et vsus demonstrat, modo transire flumen obiectum tentat, sed expectat, dum defluat amnis.

90. Longi fuimus in fide ad arbitrii diuini laudem conferenda, si longi esse possumus in ea re, cuius praestantia nulla disputatione atque oratione exhauriri potest. Nos autem nulla in

re libentius indagamus vestigia diuinæ bonitatis et sapientiae, quam in fide et verbi Dei indole; et nobis hoc magis necessaria visa est diligentior huius capitis tractatio, quod maxime obnoxium est corruptelis humanis, et religionis reuelatae aduersus *Tindalium* defensores id plane praetermiserunt, vel parum digne et Scripturae S. conuenienter tractauere. Sed sit tamen modus rei, veniamusque ad cetera institutae disputationis. In quibus aptissimum fuerit, prima commemorare *Instituta* religionis ea, quae in scholis *Sacramentorum* nomine appellantur. Habent enim coniunctionem cum verbo diuino tantam, vt etiam genus quoddam verbi diuini videantur *Augustino Tr. in Ioh. 80. verbum visibile* appellanti, laudante iudicium et acumen viri *Melantrhone in Apol. A. Conf. art. 13.* vim autem ad fidem et sanctitatem vel generandam vel alendam verbo parem, certe similem, vel hanc ipsam ob causam, quia cum verbo Dei iuncta sunt, et vim suam a verbo Dei accipiunt, non modo iubente iis vt, sed etiam promissionibus eorum vsum commendante. Atque hac ipsa de causa iis communia sunt, quae diximus de verbo Dei ipso §. 87. sqq. Sed habent etiam propria documenta bonitatis et sapientiae diuinæ, in eo maxime, quod in iis est pignus fidei perspicuum et sensibile, et vis ad roborandam fidem promissorum diuinorum, amoremque aduersus Deum hominesque inflammandum. Cum enim sit ea hominum natura, vt sensibus valde ducantur, iisque res quaeque ita certior videatur, vt magis ad sensus pertinet, aut per sensus percipitur: non quo res sensibiles sua natura certiores sint intelligibilibus, et inadspectabilibus, sed quod sensus earum, et certitudinis, acrior est et viuidior in animis humanis: profecto magnum beneficium sapientiae diuinæ putari debet, quod per Sacramentorum instituta quodam modo ad sensus ipsos admouit certitudinem promissorum suorum, atque ita eos vocauit in communionem fidei, vt per eorum vim adiuuaretur fidei certitudo et acueretur certitudinis sensus. Quemadmodum igitur quondam Deus iridem coelestem adiunxit promissioni, qua timorem diluuii talis, quale Noachicum fuerat, ex animis hominum tolleret,



tolleret, vt pignus visibile promissionis haberent, existimarentque tam certum illius promissionis euentum fore, quam certum esset, se illam iridis speciem oculis cernere: sic e. c. Eucharistiae sacramento instituto, hanc nobis facultatem dedit, vt in edendo ac bibendo cogitemus, quam certum sit, nos hunc panem, atque hoc vinum hoc tempore edere ac bibere, tam certam esse veniam peccatorum nostrorum propter I. C. tam certam spem salutis. Atque vt illa certitudo etiam sanctior et amabilior esset, eam non pane et vino promiscuo ac ψιλῶν fumendo fieri voluit, sed augustiori re adiuncta, sanguine et carne Domini nostri Iesu Christi, per quem illa venia peccatorum et spes salutis aeternae parta est. Quibus cogitationibus ac sensibus plenus in accipiendo animus, salutis cupidus, mirifice confirmetur necessè est, et per hanc ipsam confirmationem expleatur consolatione et laetitia verissima ac dulcissima. Hac porro reflectitur animus ad cogitationem benignitatis diuinae et Domini I. C. tali modo consulentis sibi et imbecillitati suae; vnde amor accipit alimentum dulcissimum, nec minus inflammatur animus ad studium vniuersae pietatis et obedientiae. Haec qualia et quanta sint, sentiunt pii, et intelligere etiam ceteri facile possunt, si ea recte considerare velint. Est enim in promptu, omnia hic esse plena bonitatis et sapientiae diuinae. Nondum dixi, quanta in iisdem institutis vis sit ad iungendos Christianorum animos et amoris concordiaeque vinculo adstringendos; in quo ipso est sapientiae diuinae magna commendatio. Sed illam tam salubrem et Deo dignam vim horum institutorum eius demonstrat Paullus non vno loco *1 Cor. X, 17. Eph. IV, 5.* etc. Addat, qui volet, *Stakbuisum in Defens. Relig. Christ. c. 23. §. 50. §q. et Fosterum in Def. vitil. et verit. Rel. Christ. c. 5.* qui tamen omnia refert ad virtutis et officii commendationem, quo in genere multa bene disputat.

91. Atque ita absoluta est pars disputationis nostrae ea, quae ad arbitraria religionis instituta vel communia vtrique Oeconomia, vel propria nouae pertinent. Transitus hinc datur ad ea, quae antiquae sunt: quem facere non possumus, nisi breuiter

ter

ter explicatis, aut saltem tactis causis diuersitatis, quae eo in genere cernitur in vtraque Oeconomia, vt et hinc aliquid lucis accedat sapientiae diuinae in modo arbitrii illius, quod defendimus, regendi. Ea diuersitas est in numero talium institutorum, qui in prisca illa Oeconomia religionis est permagnus, in hac noua autem, per Christum et Apostolos sancita, perparuus, vt vidimus; sublatis quippe omnibus praeter fidem, et sacramenta, in quibus formae priscae abolitae sunt, genere ipso seruato, et nouis formis inductis. Cum autem dubitari non possit, quin Deo liberum fuerit, numerum hunc augere; quaeri libeat, quae esse potuerint huius paucitatis causae Deo dignae. In qua quaestione explicanda non suffecerit, vt putamus, id, quod videmus afferri a multis, cum dicunt, in illo Leuitico cultu adumbrationem futuri Messiae, et rerum ab ipso peragendarum fuisse, *Hebr. X, 1.* quam locum non habuisse post euentum. Nam, vt mittamus id, quod statim occurrit cuique, id valere modo ad necessitatem abolendorum eorum, in quibus esset talis adumbratio et praefignificatio, quam non omnibus institutis Leuiticis, ne sacrificiis quidem, communem fuisse in promptu est, (cf. *Disp. II. §. 38.*) quid impediabat, quo minus iis, quae, propter commutationem rerum, commutanda et ipsa erant, alia succederent, accommodata ad nouam temporum rationem; praesertim cum in iis esse posset, vt de Leuiticis demonstrabimus, utilis disciplina fidei et officii? Nam illud quidem dici non potest, quod alicui in mentem veniat, ab illa Leuitici ritus abrogatione minus opus esse hominibus institutis bonae disciplinae. Nec ea instituta impeditura erant consilium diuinum conciliandae generis humani concordiae, et tollendae inimicitiae ex ritibus Mosaicis, *Eph. II, 15. Col. II, 14.* Nam noua et omnibus communia, et propterea libera erant ab omni tali inuidia futura, qualem Mosaica ratio, quamquam nullo vitio suo, incenderat.

92. Ac fortasse optimum fuerit, in hac re potius se referre ad illud: *quis mentem et consilium Dei assequitur?* *Rom. XI, 34.* quam incertas coniecturas tentare. Sed nescio quomodo

modo animus noster semper inclinavit ad hanc partem, ut putaremus, hanc rationem fuisse ad illa tempora, et consilium diuinum communicandae cum omnibus gentibus salutis per Christum partae ac propositae accommodatissimam, atque hanc ob causam sapientia diuina dignissimam. In operibus sapientiae diuinae hoc est non paruum, quod regnum gratiae ita cum regno naturae copulatur, ut alterum sit aptum alteri. In quo sunt omnia digna Deo, vtriusque auctore. In regno naturae saepe ita res gubernatur prouidentia diuina, ut aditus et propagatio regni alterius fiat facillior, seruiatque natura gratiae. In regno vicissim gratiae ita Deus temperat rem, ut non intercedat vis infinita, quae tollat rerum naturam et seriem ab ipso institutam, nec tamen instituta eius ita ipsa indole sua, temporibus ac locis, pugnent cum natura rerum, ut ab ea possit impediri, sed habeant successum faciliorem. Atque huius rei documentum videtur esse in eo ipso, de quo quaerimus. Cum ita praedictum esset a Prophetis instinctu diuino, Messiae regnum fines habiturum eosdem cum orbe terrarum, eiusque salutiferam doctrinam ad omnes gentes venturam, ut quae ad salutem omnium sine discrimine hominum pertineret; sapientia diuina rem ita moderata est, ut ea propagatio doctrinae Christi quam maxime cum natura rerum humanarum, h. e. ingeniis humanis, temporibus ac locis consentiret. Id effici duabus rebus poterat: primum, si ea incideret in tempora talia, quae sua sponte aditum in omnes terrae partes darent iis, per quos propagaretur, siue, si diuina sapientia ita praepararet in rebus humanis omnia, ut munita satis esset via progressurae quaquaversum doctrinae Christi: deinde, si ipsa doctrina, quoad salua summa (essentia) eius fieri posset, accommodaretur temporibus illis, hoc est, ingeniis populorum, sensibusque, ut inde nihil ei, aut quam minimum impedimenti, obiiceretur.

93. Iam quod ad primum attinet, est sane perspicuum, et a pluribus animaduersum, et a nobis nuper in *Institutione Interpr.*

Q

N. T.

*N. T. p. 211. 12.* admonitum, in notis illis migrationibus Israëli-  
tarum in Assyriam, Chaldaeam, regna Seleucidarum, Lagidarum,  
vicinasque regiones, denique, ab foedere cum Romanis inito, per  
omnes deinceps Imperii Romani partes, et, concessa a Romanis  
libertate religionis ritu patrio colendae, etiam per conuentus  
sacrorum causâ locis publicis ac solemnibus habendos, praemu-  
nitionem quandam a providentia diuina factam ad facilem et ce-  
lerem religionis Christianae propagationem, cum ea res Apostolis  
aditum facilem daret, non modo ad omnia oppida culti orbis  
terrarum, quorum nullum paene a Iudaeis tum vacuum erat, sed  
etiam facultatem daret exponendae palam multis audientibus  
doctrinae; quae multo minor ac rarior futura erat, si in peregrina  
et ignota omnia venissent. Accesserat etiam linguae graecae vsus,  
primum per Graecorum imperium latissime, etiam quodam tem-  
pore ad Iudaeos propagatum, deinde per coniunctionem rerum  
Romanarum cum Graecis inde ab Achaico foedere, et subiectos  
Romanorum imperio Graecos, ad omnes populos fufus, et in  
ipsa Iudaeorum sacra receptus; qui Apostolis hoc opportunita-  
tis dabat, vt omnibus in locis publice priuatimque docere et po-  
pulares suos et alienigenas possent. Quae vt nemo sine numine  
diuino accidisse putabit; ita valde pertinere ad sapientiam diui-  
nam, et diuinarum humanarumque rerum quandam concordiam,  
gubernatore sapientissimo dignam, in promptu est. Atque vt hoc  
obiter addamus, ex his ipsis patet, quare sapientiae diuinae con-  
sentaneum visum, illo potius tempore, quam alio, aut maturius  
proferre hanc religionis formam, quae a Christo tradita est.  
Quae spero planiora iis, quae v. c. *Conybarius c. Tindalium cap.*  
*8. p. 388.* disserit.

94. Enimuero, vt in illo res humanae diuinis, sic in eo,  
de quo quaerimus, res diuinae attemperatae videntur humanis.  
Primum illis temporibus philosophia et omnium bonarum artium  
studia, longe lateque fusa, contemptum cerimoniarum religio-  
sarum attulerant, quarum multitudinem homines illis dediti, in su-  
perfi-

perditionis ridendae parte ponebant. Omnino, siue hac, siue aliis de causis, homines multis locis erant ab ceremoniis alieniores. Id etiam ex hoc, ut opinamur, intelligi potest, quod, qui doctrina Iudaeorum capti, in societatem eius venire cuperent, quos fuisse, circa tempora Christi, permultos constat, ceremoniis uti Iudaicis ita recusabant, ut Iudaeis necesse esset, homines religionis suae appetentes a necessitate ceremoniarum seruandarum liberare. Erant porro ad regnum I. C. paulatim vocandi tot populi e Septentrione Europae, a quibus nunc omnis prope Europa tenetur. Hi adfueti religionibus vel nullius vel paucarum ceremoniarum, faciliores futuri erant ad Sacra Christiana suscipienda, si ipsorum moribus et simplicitati essent hac ex parte simillima. Et memoriae proditum est, quosdam etiam tam paucis Sacramentis offensos, et difficiliores ad assentiendum factos fuisse. Quid futurum erat, si religio Christi, pari cum vetere Iudaica comitatu rituum stipata, iis se obrulisset? Sed haec, cum in coniectura sint, quam in partem accipiantur, non magnopere laboramus. Illud quidem sine dubitatione, proque certa re, licet affirmare, in magno beneficio bonitatis diuinae ponendum esse, quod nec prisca illa tam molesta rituum multitudo mansit, nec in eorum locum alii, pari aut maiori numero succedere, agente etiam hoc sapientia diuina, ut homines magis a sensibilibus abducti, in rerum intelligibilium et diuinarum cogitatione totos se collocarent. *Gal. IV, 1. Act. XV, 10. Io. IV, 23. 24.* Hunc locum miror a Capello inter *praerogatiuas Eccl. N. T. supra veterem Iudaicam*, esse praetermissum. Nam *Witsius Oecon. IV, 15.* quod caput est *de bonis N. T.* leuiter, ut alii, ab ea parte attingit, quae ad Iudaicarum ceremoniarum abrogationem pertinet. Sed ad veterem illam Iudaicam veniamus.

95. In qua maxime offenduntur aduersarii nostri, propter illa arbitraria, quae in ea insunt plurima. Sed eorum non modo ea est *innocentia*, ut sine iusta causa iis offendantur homines, sed etiam *salubritas*, ut honorifica sint et religioni, et auctori

Q 2

Deo.

Deo. *Innocentia* quidem talium institutorum cernitur in hoc, si in iis, eorumque vsurpandorum modo, nihil est, quod pugnet cum pietate in Deum, et ad eam vel peruertendam falsis opinionionibus, vel impediendam et debilitandam in animis humanis necessario valeat; si porro nihil, quod virtutis reliquae veritatem obscuret, eiusque necessitatem tollat. *Salubritatem* porro habent, si in iis est disciplina verae sapientiae, pietatis, et virtutis, apta vsurpantium ingenii, moribus, etiam temporibus. Quibus constitutis, non est difficile, vtramque ritibus V. T. asserere. Ac nos non ignoramus, hunc locum, praesertim quoad innocentiam attingit, tractatum esse a quibusdam Britannis, qui aduersus *Tindalium* sibi certamen sumserunt, in his a *Iac. Festerio*, cap. 4. et 5. sed eius disputatio, etsi innocentiam bene defendit, quod est facillimum, tamen salubritatem nimis arctis finibus constringit, totam ponens in perspicua et perpetua seiunctione Iudaeorum ab gentibus ceteris, quae veritate religionis carerent, et remedio idololatriae; cuius vtriusque necessitatem ad conseruandam in illa gente religionem veram bene defendit. Itaque non alienum putauimus, hunc locum nostro modo explicare.

96. Et in *innocentia* quidem longam disputationem superuacua facit et rei ipsius perspicuitas, et instituti nostri ratio, quod *salubritatem* magis attingit, quam innocentiam: quamquam illa in huius veluti fundamentis consistit. Nam totam illam caerimoniarum multitudinem, quoad iis acquieuerit Israëlitica natio, nec ab iis se ad alios ritus traduci passa sit, inuiolatum reliquisse verum de Deo vno, inuisibili, mundi auctore, et rerum omnium conseruatore, sensum, et coque de praescripto ipsius, pietate, obedientia, et virtute colendo, res ipsa declarat: nec ea res vllam dubitationem potest habere. Nihil igitur hic vitii est, sed innoxia omnia. Cum autem haec sit indoles ingenii humani, praesertim plebeii et indocti, vt adhaerefcet rebus sensibilibus, oblitum intelligibilem et coelestium, in illisque totam religio-

religionem et sanctitatem ponat, et poni cupiat; propterea, quod facilius est, corpore agere, eique imperare, quam animo: cautum est his incommodis diligenter in illa ipsa religione, per praecepta eiusmodi, quae plane et seuerè docerent, in illis ceremoniis non esse maximum cultum Dei, aut totum, sed longe maiora esse interna, quae mente et animo peragerentur, fidem, obedientiam, sine quibus illa, velut mente ac sensu cassâ, etiam displicerent. *1. Sam. XV, 22. Ps. L. Es. I, 11.* etc. Itaque si quid in hoc genere ab Israëlitis peccatum est, quod factum esse plus, quam satis esset, docent querelae Prophetarum, eius culpam omnem sustinent homines, nihil inde ceremoniae ipsae vitii aut noxae trahunt.

97. Sed innocentia earum multis et magnis commodis cumulatur. In quibus primum facile agnoscimus ea, quae diximus a *Fostero* et aliis demonstrata, unde etiam sapientia diuina illustratur, quae conseruandae religioni verae, et cauendae superstitioni ita aptas res inuenit et sanxit. Quod si quis Spence-rianam rationem probet, cuius vitia non ignoramus; adiuuerit et ipse causam nostram. Est enim benignitatis et misericordiae paternae, demittere se ad imbecillitatem suorum, quoad ipsius sanctitas et religionis dignitas patiatur. Sed nos aliis et maioribus rebus salubritatem istarum ceremoniarum aestimamus, ut diximus. Et quoniam in iis proprie non est ipsius religionis pars, nisi quoad obedientia Deo in iis seruandis praestatur, sed disciplina religionis virtutisque colendae; ea quomodo insit, breuiter demonstrandum videtur. Nos autem non sumus ii, qui disciplinam ponamus modo, aut maxime, in coercendis rebus malis; sed etiam, et multo magis, in adiuuandis bonis. Neque enim disciplina est propria improbis, quos coerceri seueritate institutorum idoneorum conuenit, sed communis etiam probis. Et est multo melior, quae bonis prodest, quam quae malos coerct. Nam haec modo abstrahit a delictis externis, et cogit facere externum virtutis et religionis opus: illa adiuuat

pietatem et virtutem ipsam, per quam vera opera sanctitatis fiunt. Habuerunt ergo caerimoniae Mosaicae disciplinam illius generis, quoad necessitatem attulere sacrorum certis temporibus obeundorum, et peccatorum quocunque modo expiandorum. Quorum alterum cauebat, ne homines improbi paulatim omnem religionis sensum exuerent, sed perpetuam peccati exprobrationem, et officii ac poenitentiae admonitionem haberent, per quam occasionem quin interdum homines ad meliorem mentem reuocati sint, dubitari vix potest: alterum autem homines saltem in peccando timidiores reddebat, et metu a peccatis multis abstraherebat. Sed melior illa ad pios pertinens disciplina, vel ad scientiam et fidem refertur, vel ad animum eiusque sensus, vel ad actionem; contineturque institutis apte excogitatis ad scientiam religionis augendam et firmandam, fidem alendam et excitandam, sensus animi ad normam certam pietatis et virtutis fingendos et roborandos, actionem denique vitae adiuuandam per exercitationes idoneas. Talem vero disciplinam fuisse in caerimoniis Mosaicis, si per omnes partes eundo demonstrare institueremus, vix finem habitura esset disputatio. Itaque paucis exempli causa ponendis defungemur, e quibus de ceteris iudicare facile sit.

98. Atque vt a parte ea initium faciamus, quae ad scientiam verbi diuini pertinet, a quo omnis vera fides et sanctitas ducitur; de *Sabbati* instituto primum videbimus. In quo non docebimus, quam vtilem disciplinam habuerit in eo, quod, feriandi necessitate imposita, paene traheret homines ad sacra statim horis obeunda, aut quod imitatione Dei opera sua inuentis post sextum diem et probantis, vocaret homines ad acta superiorum dierum recolenda, et eorum rationes a se reposcendas, vt fierent post cautiore, si aberratum a lege viderent: (*Pbilo de Decal. p. 758.*) sed modo, quantum profuerit ad verbum Dei cognoscendum atque imbibendum. Etenim quod omnibus Sabbatis ita audiebatur necessario pars verbi diuini, vt certo



certo Sabbatorum numero, olim lex tota, post libri etiam Prophetarum omnes absoluerentur, homines adulti, iisdem saepe audiendis, ita percepta tenebant omnia, ut nihil eos fugeret. Cuius rei auctorem ac testem habemus *Iosephum*, cuius egregius est et dignus lectu locus c. *Apionem II, 16. 17.* ubi ostendit, apud Iudaeos coniuncta fuisse, quae alii populi distracta haberent, *διδασκαλιαν* et *ἀσκησιν τῶν ἑθῶν*, *doctrinam* et *disciplinam institutorum*: horum autem pulcherrimum fuisse in ista assiduitate per dies Sabbatorum audiendae legis, per quam effectum sit, ut omnia legis capita *non minus* quisque *quam nomen suum* teneret. Quod ille quidem de legibus Mosis dicit, de quibus id eo loco praedicari fatis erat, sed pariter de Prophetarum libris dici poterat. Nec in ea re ostentationis suspicio est, cum et mulierum in libris sacris, et eorum qui nunc sunt Iudaeorum exemplum rem firment. Mariae quidem preces illae pulcherrimae totae ita nexae sunt verbis diuinis, ut appareat ei familiarissima fuisse ex illis crebris auditionibus verba et sententias sacrorum librorum. Et nunc, satis constat, Iudaeos permultos, etiam expertes eruditionis Iudaicae, ita tritos esse in libris V. T. ut plerosque Christianorum in eo genere longe superent. Atque illa tanta totius verbi diuini scientia, magnam hominibus, praesertim piis, facultatem dabat meditandi assidue verbum diuinum e descriptione Dauidica, *Pf. I, 2.* Itaque non modo propterea inerat beneficium in hoc instituto, quod vacationem dabat corpori humano a laboribus, ipsum quoque magnum et amabile; sed etiam et multo magis hac de causa, quod disciplinam verbi diuini exercitatione tali imbibendi efficacissimam habebat.

99. Atque hac ipsa de causa in eodem instituto erat *disciplina fidei*, quae assidue audiendo verbo venit et manet, nascitur et alitur. Sed huius disciplinae aliud, nec parum efficax genus fuit in genere sacrificiorum eo, quod animalium sanguine fundendo peccata expiaret. Nam cum in eo esset adumbratio futurae

futurae per Messiae mortem expiationis, ad omnes peccatorum poenas abolendas pertinentis, et veniae impetrandae spes tota referretur ad misericordiam et beneficium diuinum, non minus ad excitandam et alendam fidem virium habebant, quam nunc Eucharistia recte celebrata. Nec vero hic nobis explicanda est, vt opinor, disputatio longa, qua vincamus, hanc admonitionem in eo genere sacrificiorum ex instituto et consilio diuino fuisse, cum ea res claris Christi et Apostolorum testimoniis nitatur, sintque eius etiam in Iudaeorum libris vestigia, quae *Schoergenii* diligentia collegit in *Horis Talmud. T. II. p. 483.* Quod si ea feris V. T. temporibus paullatim oblitterata fuit, et ignorata plerisque, hominum id vitium fuit, qui in talibus rebus facile adhaerescunt in eo, quod in sensus incurrit, neglecta parte meliori, quae mente peragenda est. Nec quod in lege ipsa nulla eius rei mentio facta est, propterea negari, aut ignota veteribus existimari debet. Nec enim legis illa doctrina fuit, sed Prophetarum, in quorum scholis ea tradebatur. Nam nec hoc in lege diferte scriptum est, in talibus sacrificiis obeundis cogitationem peccatorum cum dolore vero, et deprecatione veniae, et voluntate seria peccatorum postea cauendorum, requiri, sine quibus inutilia esse sacrificia, et ad augendam culpam et poenam valere. Et tamen hoc non ignoratum aut non traditum esse doctrina religionis Iudaicae, tum Prophetarum libri docent, tum Iudaeorum posteriorum scripta, vt *Philonis de Victimis*, item de *Sacrificantiis*, et *Targum ad Ecclesiast. IV. ult.* etc. Ex quo illud quoque intelligitur, quod praeteriri non debet, in sacrificiis istis fuisse *disciplinam poenitentiae* vtilem, et salutarem; in quo ipso magna eorum est commendatio, et sapientiae diuinae laus.

100. In ceteris porro sacrificiis et oblationibus omnibus fuisse egregiam *disciplinam pietatis* aduersus Deum, omnia bona vitae humanae, omnes euentus secundos, referentis ad beneficium diuinum, res propemodum ipsa clamat. Necessario enim  
occur-

occurreret in tali genere cerimoniae, Deo deberi, quidquid boni obtigisset: eius rei professionem solennem et gratam editali ritu obeundo: ab eodemque esse speranda secunda in posterum. Nec dubitem, *in legibus de discrimine ciborum*, fuisse de consilio diuino, *disciplinam* aliquam *cupiditatum castigandarum* et *refrenandarum*, per necessitatem abstinendi ab cibis iis, quibus alii populi delectarentur; idque innuit *Iosephus l. c.* Et sunt multa alia, quae dici in hanc sententiam possunt: sed modus adhibendus est; et via per haec ad indagandum est patefacta. Ceterum si non potest in omnibus talis aliqua vis indagari et explicari, non propterea nihil huiusmodi in iis fuisse iudicandum est, quod esset salubre homini, gloriosum Deo. Etenim non est mirum, si nos, tam longe ab iis temporibus remoti, quibus illius disciplinae vera ratio et verus vsus et perfectus erat Prophetarum traditione, et frequentabatur vulgo, ea ignoramus, et nostra sponte indagare non possumus, cum etiam Christi temporibus perpauci essent, qui maiorum rerum veram rationem et legitimum, de consilio Dei, vsum tenerent. Et sunt fortasse quaedam in his similia Parabolarum Euangelicarum *περίσσει* et minutis partibus, quae non propriam causam aut significationem habeat, sed explendo modum Parabolae quasi corpori feruiunt, in quibus si quis proprium aliquod Dei consilium ad disciplinam talem pertinens indagare velit, argutias citius parum probabiles exprimat, quam veritatem reperiatur, quod *Philoni* et aliis allegoricae rationis amicis saepe accidit.

101. Illud autem praeteriri non debet, quod maxime pertinet ad disputationis nostrae consilium: disciplinae talis etsi non ea necessitas fuerit, ut sine ea ad religionem, fidem, poenitentiam, etc. adduci homines non possent, aut ut alia esse non posset; tamen cum Deo salubre ad consilia sua visum esset, cerimonias tales ac mores sancire §. 96., summam salubritatem fuisse, eamque ob causam laudandam esse et sapientiam diuinam, quae eas summae religionis ita aptauerit, et bonitatem,


R

quae

quae per hanc disciplinam talem adiuuare homines in omni parte religionis, et consuefactione quadam ad fidem et pietatem adducere voluerit. Quanta autem vis sit talis disciplinae institutorumque exercendae cuiusque virtutis vel artis, sapientissimi quique omni tempore intellexerunt. Grauis enim error est eorum et perniciosissimus, qui in rebus ad actionem pertinentibus satis esse putant, si doceant, quid et quomodo agendum sit, et cohortatione, hoc est, commemorandis iis, quae motiua vocari solent in Scholis, vtantur. Quibus rebus nihil aliud effici potest, nisi vt sciat aliquis officium, et ad id vtcunque impellatur animus, i. e. ad optandum, vt officium ipse faciat: nisi vero etiam Rhetores praeceptis eloquentiae tradendis et laudibus eius, pulcritudine et vtilitate, commemorandis, difertos facere discipulos possunt. Enimuero vt facias, et constanter facias, quod est proprium verae virtutis, id sine exercitatione multa fieri non potest, quam teneri disciplina certa et apta, id est, institutis ad vitia paullatim coercenda et excludenda, et ad actionem rectam celeriter et facile suscipiendam valentibus, in promptu est. Haec est illa disciplina, qua lapsa, virtutem ipsam lapsam queruntur historici Romani. Pulcerimus est locus apud *Xenophontem* in *Cyropaedia tertia*, non longe a fine: vbi Cyrus inducitur Chryfantae monenti, vt et ipse cohortatione apud milites vteretur, quod id faceret rex Assyriorum, ita respondisse, vt diceret: *μηδέν σε λυπέντων αἰ τῷ Ἀσσυρίῳ παρακλεύσεις. ἔδεμνα γάρ ἔτως ἔσαι καλή παρῶσεις, ἥτις τῶς μὴ ὄντας ἀγαθὸς ἀυθήμερον ἀέσαντας ἀγαθὸς ποιήσει. ἐν ἂν ἐν τοξότας γε, εἰ μὴ ἔμπροσθεν τῆτο μεμελετητότες εἶεν, ἔδ' οἰκοντισὸς, ἔδδ' μὴν ἰππέας γε, ἔδδ' μὴν τάγε σώματα ἰκανὸς πονεῖν, ἢν μὴ ἔμπροσθεν ἡσκητότες ᾧσι.* *Ne tu timeas cohortationes Assyrii. Nulla enim esse potest tam pulcra cohortatio, quae eos, qui fortes non sint, statim audiendo fortes faciat: non certe bonos sagittarios, nisi ante eam artem exercuerint, nec iaculatores aut equites, aut qui corpore labores*

*labores sustineant sine praegressa exercitatione.* Et post demonstrat, non modo legis praeceptis opus esse, sed etiam magistris et praefectis, qui *doceant et consuefaciant* facere ea, quae leges iubeant. Et his similia sunt in *Platonis de Republica* libris, quae alibi a nobis sunt indicata. Sed ut ad eundem locum pluribus saepe viis peruenitur, pari commoditate viatorum, faltem pro cuiusque rationibus et consilio, nec necesse est omnibus eadem via ire: ita illa disciplina, quamvis bona pro indole gentis et ratione temporum, aboleri a Deo potuit, inducta alia simpliciore et omnibus populis apta.

102. Non ignoramus, esse plura, de quibus in hanc partem dici possit, non modo in Iudaica religione, sed etiam in ea, quae primis generis humani parentibus in Paradiso fuit. Sed supergressi iam sumus modum Academicæ Exercitationis. Itaque hic finem facimus *Vindiciarum* nostrarum: quas ut optimo animo suscepimus, ita plurimis prodesse ad agnoscendam sapientiam et bonitatem institutorum diuinorum cupimus; quod nobis in tota huius causæ actione spectatum fuit. *Deo soli bono et sapienti sit laus et gloria in omnia secula!*



libere, sicut in christiana religione. Et hoc de-  
 monstretur, non modo legibus, sed etiam  
 scriptis prescriptis, quod dicitur et passim factum fuisse  
 testis habent. Et hoc similiter fuit in Petro de Ravenna. Et  
 dicitur, quod abbas nobis fuit indicat. Sed et ad eundem lo-  
 cum et alius fuit vis periculis, nisi committere viderentur.  
 sicut pro christiana religione et consilio, nec necesse est omni-  
 bus dicitur vis nec: in illa dicitur, quoniam, bono pro nichilo  
 gentis et ratione temporum, adolevit a Deo ponne, indicat, sicut  
 ampliore et omnibus populis que  
 tot. Non ignoramus, esse etiam, de quibus in hanc py-  
 ram dicitur, non modo in hanc religionem, sed etiam in  
 ea, quae prius gentis nomen pertinet in hanc. Et  
 Sed, dicitur, non alius modum Academicorum, et  
 Iamque hoc dicitur hanc Academicorum, quae et  
 in hanc dicitur, in hanc dicitur, et  
 dicitur et dicitur, in hanc dicitur, et  
 nobis, in hanc dicitur, in hanc dicitur. De hoc  
 et dicitur, in hanc dicitur, in hanc dicitur.



Fc 1285

Vol 18

ULB Halle 3  
004 966 066



Sb.

nr.









29  
VINDICIARVM  
ARBITRII DIVINI  
IN  
RELIGIONE CONSTITVENDA  
PARS TERTIA

DISPVATIO THEOLOGICA  
QVAM  
SVB PRAESIDIO  
D. IO. AVGVSTI ERNESTI  
IN AVDITORIO COLLEGII PRINCIP. MAIORIS  
A. D. II. APRILIS A. C. CIOIDCCLXII.  
DEFENDET  
CHRISTIANVS SAMVEL WEISIVS  
A. M.

---

L I P S I A E  
EX OFFICINA LANGENHEMIANA.